

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Avtvmnalis - A Dominica Decimaquinta post Pentecosten, ad  
Adventum

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Feria 5. Omnia quæcunque dixerint vobis servate & facite: Secundum  
opera verò eorum nolite facere. Si non facis quod doceris quia hoc docent  
non faciunt, tam falsò te excusas quàm verè illi à Domino ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44846**

## FERIA QVINTA.

NON QVID MALE FACIANT, SED QVID  
BENE DOCEANT SUPERIORES  
ATTENDENDUM.

*Super cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei; omnia ergo quacunque  
dixerint vobis; servate, & facite: secundum opera verè eorum,  
nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.*

Matth. 23.

## VERITAS PRACTICA.

Si non facis quod doceris, quia qui hoc docent  
non faciunt, tam falso te excusas, quam verè  
illi à Domino accusantur.

RATIO EST Quia tam falsa te excusas quam  
falsa illa est ratio quam excusationi tua pra-  
tendis.

Sed tam falsa est illa ratio quam prætendis quam  
verè illi à Domino accusantur qui dicunt &  
non faciunt.

Ergo si quod doceris non facis quia qui hoc docent  
non faciunt, tam falso te excusas, quam verè  
illi à Domino accusantur. Quia ex Veritate at-  
tentius considerata, non modò qui docentes  
audiunt, sed & qui docent, admonentur sui  
officii.

## I. PUNCTUM.

UÆ vigesimo secundo capite resert  
S. Matthæus, magnam habent affini-  
tatem materiæ cum præcedenti, &  
jam variis in locis consideranda oc-  
current, quapropter his omissis, transitus ad  
vigilium tertium caput ubi Dominus gravi-  
ter arguit Doctores legis, seu Scribas & Phari-  
seos qui alia prouersus docerent ac facerent.

Ne tamen illorum doctrinæ & autoritatí  
videretur quidquam detrahere, prius monet  
turbas & discipulos suos, & illos audiant & au-  
ditis obediunt, dum in cathedra Moysis sedent,  
id est, dum Scripturam sacram interpretantur,  
aut ex scripturis petitos mores docent. Quod  
autem male agant, nihil ad Scripturam aut  
Moysen id spectare, & idcirco nihil inde in mo-  
res transferendum. Neque præterea se à faci-

endis his quæ docentur, quisquam excusat:  
Nam si non facis quod doceris quia qui hoc docent  
non faciunt, tam falso te excusas quam verè illi  
à Domino accusantur.

Hæc modò Veritas ex multis quæ proponi  
possent videtur consideranda, quod docentes li-  
mul & audientes ita spætē, ut utrisque sua  
subministrantur monita quibus quod suum cœl-  
fideliteragan.

Primò quidem sanè deceret eos omnes qui  
docent, nonnisi sanam docere doctrinam, neq;  
nisi conformes doctrinæ mores exhibere, ut  
exemplio confirmarent quod verbo docent: si  
tamen ista morum desit conformitas, neque fa-  
cta dictis respondeant, non habent Auditores  
præterea quod excusat si non id faciant quod  
docentur: Habent quidem quod aripiant &  
quod prætendant suæ vel negligenziæ vel con-  
cupiscentiæ, quæ cùm repugnat auditis S. Scri-  
ptrum verbis, veller se inde posse tutò eximere,  
cùmque aliud nibil occurrat facilius quam illa  
morum & doctrinæ dissonantia quæ appareat in  
his qui alios docent, libenter hoc afflumit, &  
quæ depravata est concupiscentia tam præv  
accipit quod docetur, si pravus ipse est qui Do-  
ctoris officio fungitur.

Sed frustra, sed falso, sed perperam se inde  
quisquam excusat. Tam falsa est enim excusa-  
tio quam falsa est ratio quam prætendit, quæ se  
idecirò excusat. Quærit nempe rationem qui  
rationi repugnat, nam cùm rationi non repu-  
gnat nisi ut liberius & jucundius vivat, non sit  
autem jucundum vivere contra rationem, quid  
agit qui rationi vivendo repugnat nisi ut rati-  
onem ratione pellat? In his quidem qui se ad om-  
inem libidinem proiecerunt sola libido illis pro-  
ratione prætenditur, transierunt in concupi-  
sciam

tiām, & in affectum cordis. Sic totus eorum intellectus, tota mens, & tota in hoc unum eorum ratio conversa est, ut quod pravè concupiscunt, rationabile teneatur. Sed non omnes è de-  
mentia devenerunt, non omnes ita omnem ex-  
uerunt pudorem ut pudeat non esse impuden-  
tes. Contrà prorsus puderet illos suæ libidinis,  
si sola libido esset, nec adiunctam haberet ratio-  
nem. Moveret libido conscientiam, & conscientia  
libidinem accusaret, nisi Ratio intercederet  
& nisi excusando libidinem, pacaret conscientiam.

*Cor. 6.* **Sed quis participatio iusticia cum iniquitate?**  
aut quis societas luci ad tenebras? quid commune  
libidini cum ratione? Quid virtus cum virtute?  
Nihil plane quidem si vera ratio, veraque virtus  
quæreretur: sed adumbrata sed falsa quædam  
supponitur, singunt libi quod volunt & sicutum  
pro vero affingunt, unde & jam supra notatum  
est, quod in vulgata legitur, transferunt in affec-  
tum cordis, aliis legunt in fictionem sive in pœna-  
ram cordis, quasi dicetur, sed singunt & colo-  
rant neficiū quid aliud quam affectum cordis,  
quo se in luto affecta tegant honestius. Sicut  
quoniam Gentiles humanos suos effectus facie-  
bant Deos, ut sic effectus coherent religiosus &  
liberius; sic etiā modò effectus emento quo-  
dam Virtutum & rationabilium animi motuum  
vestitus nomine, quo illis facilius indulgamus  
& rationis excusatione vitium obtegamus.

*¶ 16.* **At contra maneat illud firmum & constans,**  
quod nulla est excusatio si nulla est ratio quam  
excusationi pretendimus. Mensica est iniquitas  
sibi, non Deo, non hominibus qui fallaciam de-  
tegunt, sed sibi uni, suamque protus in perni-  
ciam.

## II. P U N C T U M .

**S**ED quam rationem affers cur non facias quod  
doci, quia ipse qui hoc docent non faciunt, &  
falsam & nullam esse patet quam vere illi à Do-  
mino accusantur.

Nam quod est valde notandum, non tantum  
accusantur à Domino quod male faciant, sed  
quod male faciendo pervertant quod bene do-  
cent, & pravis suis exemplis detrahant quod ver-  
bis adiudicaverant, id est, abducant a bono suos  
audatores, & in malum inducent? Hoc est enim  
primum quod illis obiici: *Va vobis scribæ & Pha-*  
*rizæ hypocrites, quia clauditis regnum celorum*  
*ante homines: Vos enim non intrare, nec introiun-*  
*tes finitis intrare.* Et paulò post, *Va vobis, quia*  
*circum mare est aridam ut faciatis unum profe-*

*lytum. & cum fuerit factus, facitis eum filium ge-*  
*henna duplo quam vos. Quia depravatus malo*  
*exemplo redit ad vomitum; & melius erat illa*  
*non cognoscere viam iustitiae quam post agnitione*  
*nove retrorum converti ab eo quod illa traditum 2. Pet. 2.*

Nunc itaque quero abs te, qui à perversis Do-  
ctorum exemplis tua perversitatis excusationē  
queris, an recte, an legitimè Doctores illi à Do-  
mino arguantur, quod perversis suis exemplis te  
pervertant? Dices profectè legitimè, ne blasphemare  
cogaris, Dominum arguendo. Sed auculata,  
si legitimè propriea Dominus illos arguit,  
nonne & te simul accusat qui pro ratione id al-  
sumas quod ille tanquam virtutis judicat & con-  
demnat? Nonne hoc ipso quo verè accusat prava  
Doctorum exempla, manifestè significat ratio-  
nem ab ipsis pravis exemplis petitam, nullam es-  
se posse, cùm prava illa exempla rationi repug-  
nant & idcirco condementur? Nonne hoc ip-  
sum est quod dicebat Dominus, *si ecce cœcum*  
*ducas ambo in forream cadent: Nonne idcirco to-*

*Matt. 15.*

*ties & qui scandalizant & qui se scandalizari si-  
nunt, id est, in peccatum induci, pariter ar-  
guuntur, quod non minus aliorum prava  
exempla fugere quam non alii dare tenem-  
tur? Non sequeris turbam ad fasiendum ma-  
lum: nee in iudicio, plurimorum acquisi-  
ties sententia ut à vero dervies. *VIDE TE, ne & vos Ex. 23.*  
*similes efficiamini factis alienis, DISCEDE ab ini- Bar. 6.**

*quo & deficiens mala abs te, Nonne reputes in mul- Ecol. 7.*

*itiis sine indisciplinato rum, Id est, non te propte- Ibid.*  
rea justum putas quod alii multi tecum peccent  
non enim facit multitudo peccantium ut pecca-  
tum non sit peccatum, licet qui peccent sint do-  
cti, sint primiores, sint seniores, sint quavis insigni-  
ties dignitate, licet ad peccatum existent, licet  
minentur, licet blandiantur. Nonne hic mundus  
est, nonne ex tribus unus est hostis cui non mi-  
nus est resistendum quam carni vel Dæmoni?  
Quod præterim locum habet in nostra hypo-  
thesi cum ipse ille mundus qui peccat, peccatum  
semper doceat esse vitandum, ac propterea se  
peccantem condemnat sicut & alios. Unde fit ut  
quantumcumque te excuses, semper agnolces,  
aut certè habeas quo agnoscas te non minus pec-  
care illis peccantibus quam si solus peccares:  
Quod vel ex eo patet evidenter, quod tu ip-  
se non ignoras nec diffitearis illos peccare qui  
quod docent non faciunt. Nec temerarium est  
illos judicare & condemnare quando se ipsis pa-  
lam judicandos & condemnandos exhibent.

*Deni-*

**Rom. 2.** Denique, nonne in te retorquebitur quod contra illos urget Apostolus: *In quo iudicas alterum, et ipsum condemnas; eadem enim agis quae iudicavi.* Primo quidem, ut dixi, contra bene docentes & male agentes dictum illud iutor quae iudicavit, quia qui predicat non furendum, & furatur, se sua predicatione condemnat; sed deinde etiam illud ipsum tibi quadrat qui rationem excusat peccati tui, trahis ex peccato docentis, quia iudicando docentem, tu ipsum condemnas qui eadem agis quae iudicas.

**Matt. 12.** Non argueris quod cum iudices qui se iudicandum palam exponit, sed quod illum iudicando, tu idem agas, & tetamen excusas quasi minus peccates. *Ex verbis tuis condemnaberis.*

## III. PUNCTUM.

**Rom. 3.** **Q**UAM O BREM aperta est Veritas, quod si non faciat quae doceris, quia qui hoc docent non faciunt, tam falsò se excusai quam vere illi à Domino accusantur, Nam dum vere à Domino accusantur, patet eos peccare, & dum patet eos peccare, patet nullam esse rationem qua te excuses. Nam excusare peccatum ex manifesto alterius peccato, se potius accusare est, cum ex eo ipso quod manifestum esset alterius peccatum, tu ignorare non poteras, & quanto erat magis manifestum, tanto erat manifestius evitandum: qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte; & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Magna quidem peccandi est illecebra, primum illorum exemplum qui secus agunt quam docent, sed quis nescit ab his illecebribus esse ca- vendum? Quis nescit quod ait Sapiens: Ne

accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam, mendacium. Et tunc, **Eccles. 4.** ne ponas anima tua scandalum. **E**t ne accipias personam ut delinguis. Aut si hæc forte ignorantur, quis nescit dictum Domini, **C**ave te ab hominibus: scandalizabuntur multi & invicem tradent. **Matt. 10.** **I**bis, oculum scandalizantem esse crucatum, aut quis ignorat tali ocu- lo designari Doctorem & ducem qui cavenda videt nec tamen cavit, qui foveam aperit, & in eam incidit atque alios secum trahit. Erue hunc oculum, erue: Id est, longè procul inde dis- jungeret: & quantumvis videbatur prudentis esse, alioquin insignium facta sequi, cave hanc prudentiam, dum eorum facta repugnant ipso- tura dictis. Memento quod scribit Divus Hie- zonyrus adversus Pelagianos: *Vicina sunt vi- tia virtutibus, usi si paululum declinaveris, aut errandum tibi sit, aut in præcepis cadendum.* Quantum inter se distans pertinacia, & perseve- ranzia: Parsimonia & frugalitas: Liberalitas & profusio: Prudentia & calliditas: Fortitudo & temeritas: Cautela & timiditas, quorum alia ad bona, alia referuntur ad mala? Non est pru- dentis sed callidi hoc in Doctore imitari quod Doctor improbat; sic enim callide vis facto approbari quod verbo improbat: sic enim callide vis ut apparet ratione fieri, quod contra rationem facias.

¶ X) T (D)

FERIA